



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

VII. Quod vnicuique, etiam iusto, non solum pro aliis, sed & pro semetipso
dicere oporteat: Dimitte nobis debita nostra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficilius potestis facere: sed ait: *Sine me nihil potestis facere.*

Ioan. 15.

VI.

Cod. Can.
cap. 114.
Conc. Afr.
cap. 81.
1. Ioan. 1.

Ibidem.

Item placuit, quod ait S. Ioannes apostolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: *Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est*: sed cum ait: *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

VII.

Cod. Can.
cap. 115.
Conc. Afr.
cap. 82.
Matth. 6.

Iacob. 3.

Item placuit, vt quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnumquemque sanctorum: *Dimitte mihi debita mea*, sed: *Dimitte nobis debita nostra*, vt hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat apostolus Iacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus om-*

ANNO
 CHRISTI
 416.

nes. Nam quare additum est, *omnes*, nisi vt ista sententia conueniret & psalmo, vbi legitur: *Non in- Psa. 141.*
tres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in
conspetu tuo omnis viuens? Et in oratione sapientif-
 simi Salomonis: *Non est homo qui non peccet.* Et in li- *Ecc. 7.*
 bro Iob: *In manu omnis hominis signat, vt sciat omnis* *Iob. 57.*
homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel sanctus
 & iustus, cum in oratione pluraliter diceret: *Pecca- Dan. 9.*
uimus, iniquitatem fecimus, & cetera, quæ ibi veraci-
 ter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemad-
 modum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de
 populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum* *Ibidem.*
orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi
mei Domino Deo nostro: noluit dicere, peccata no-
 stra sed & *populi sui* dixit: & *sua*: quia futuros i-
 stos, qui tam male intelligerent, tamquam prophe-
 ta præuidit.

VIII.

Item placuit, vt quicumque verba ipsa domi- *Cod. Can.*
 nicæ orationis, vbi dicimus: *Dimitte nobis debita no-* *cap. 116.*
stra, ita volunt a sanctis dici, vt humiliter, non ve- *Conc. Afr.*
 raciter, hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat *cap. 83.*
 orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino men- *Math. 6.*
 tientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde
 dicit, quæ sibi dimittantur, sed debita non habere?

Hucusque de fide contra Pelagianos, nunc re-
 gulæ tractentur ecclesiasticæ.

IX.

Placuit, vt non sit vltra fatigandis fratribus an- *Cod. Can.*
 niuersaria necessitas, sed quoties exegerit causa *cap. 95.*
 communis, id est, totius Africae, vndecumque ad *Conc. Afr.*
cap. 62.